



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Excommunicatio minor quæ inducat incommoda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

## 286 Excommu. minor.

gio excusari, nam à communionem illius, licet denunciatus non fuerit: volumus abstineri iuxta canonicas sanctiones.

*Excommunicatio minor que inducat  
incommoda.*

**P**eccat igitur mortaliter peccato sacrilegii excommunicatus minore excommunicatione si se ingerit passivè participationi cuiuscunq; sacramenti: quia exclusus ab Ecclesia, indignus accedit: sicut excommunicatus maiore ingerens se diuinis. Participantes autem cum excommunicato minore, nullam ex participatione incurrunt censuram, quia excommunicatio minor transit in tertiam personam. Et reservatur absolutio ab excommunicatione minore sacerdoti proprio, hoc est sacerdoti qui potest absolvere à peccato mortali: non quia excommunicatio minor habet annexum peccatum mortale: sed quia est vinculum Ecclesiasticum, ac per hoc soluendum à ministro iurisdictionis Ecclesiasticæ: quam non habet quilibet sacerdos qui potest absolvere solum à venialibus ea ratione quia poenitens se illi submitit in materia non necessaria in sacramento poenitentiae: qualis materia est peccatum veniale, quòd homo non tenetur confiteri. Ex hoc enim quod poenitens sola peccata venialia confitenda habet, obtinet ut possit se confitendo subicere cui maluerit sacerdoti: quia nulli tenetur de illis confiteri. Sed ex hoc non est privilegiatus ut possit à quo sacerdote voluerit absolui à vinculo Ecclesiasticæ censuræ: quia totum oppositum concurrat hic, quoniam tenetur de hac censura quærere absolutionem & obtinere eam ante absolutionem à quibuscunq; peccatis, & cuiusque sacramenti susceptionem: & propterea recurrere ad ministrum Ecclesiae habentem aliàs potestatem iurisdictionis. Et possit  
diaconus,

## Excommu. minor. 287

diaconus, imò simplex clericus habens iurisdictionem  
absoluere à minore excommunicatione multò magis  
quam potest absoluere à maiore: quoniam vtriusque  
absolutio non spectat ad potestatem ordinis, sed iurisdictionis.

### *Peccatum falsi multipliciter committi potest.*

**F**alsarius tam monetae, menturarum & ponderum,  
quàm scripturarum seu literarum aut sigillorum,  
peccat proculdubio mortaliter: quia interuenit ibi  
factum perniciosum ex suo genere. Posset tamè pro-  
pter imperfectionem actus veniale tantum interue-  
nire peccatum, vel ratione minimi nocementi, vel  
quum ioci gratia alieno nomine qui fingit literas.  
Contingit quoque sine omni fonte peccato fingere  
alieno nomine literas officiosè, dum vriliter agitur  
alterius negotium, nec dubitatur quòd gratum erit  
illi cuius nomine scribitur. Et in huiusmodi priuatis  
literis alieno nomine fictis, rati habitio à falsitate ex-  
cusat.

### *Infamiam propriae personae negligenter non impediens, peccat in seipsum, & dicitur crudelis.*

**F**amam propriam falsò ereptam negligere tunc  
est peccatum, quum aliis hoc nocet seu nocere  
timerur: nam fama propter alios nobis necessaria est.  
Et in tali casu dicit Aug. Qui confidens conscientiae,  
negligit famam, crudelis est: quia aliorum animas oc-  
cidit, vel blasphemantium viam Dei audita bonorum  
infamia, vel imitantium malum quod factum putat,  
excusando se super reputatos bonos. Verum iuxta  
occurrentis necessitatis casus & facultatem prou-  
dendi, iudicandum est in singularibus de peccato hoc.

Barb.